

1510 1512 1514 1516 1518 1520 1522 1524

Sammelblatt!

D 1522

L

Q. D. B. V.
DE

VIRTVTE PRE- CIBVS IMPETRANDA EX ETHNICORVM QVORVN- DAM SENTENTIA,

adversus Cottam, Arnaldum & Bælium,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

D O M I N O

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIÆ, JVLIACI, CLIVIÆ AC MONTIVM, AN-
GARIÆ WESTPHALIÆQUE ET RELIQV.

CONSENSV AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI
IN ACADEMIA JENENSI

d. Octobr. An. M DCC X.

DISPV TABVNT

M. Gottlieb Stolle/
LIGNIC. SILES.

ET

IOANN. CHRISTIANVS SCHWOPE,
BREGA - SILES.

JENÆ,
LITTERIS MULLERIANIS.

ALYTTUR PER
CIPRO IMPERATORIA
EX ETIENNEI OLAERNI
DANICENSIUS
RECOLAT MAGNIFICENTISSIMO
SERVIRIO TITANICO AC DOMINO
OMNIS
SANCTO HINRICO.
DAECKS UND LANDESBIBLIOTHEK HALLE
UNIVERSITY LIBRARY
1747
IN VACUUM TENE
M
JOHN CHRISTIANUS SCHMOLE
LITTERIS VALERIUS



SYNOPSIS.

Virtutem precibus imperandam esse, ipsa ratio suadet. §. 1.
Et quidem ita, ut & Gentiles id agnoscere potuerint. §. 2.
Cotta ramen id & rationis & omnium hominum opinione
contrarium putavit, §. 3. sed utrumque frustra. §. 4. notum
enim est, Hebraos docuisse, virtutem à Deo petendam. §. 5. Imo
ex ipsis Gentilibus magni id afferriōe ziri. §. 6. Esi id forte
cum eorum doctrinis aliis maiis coherreat. §. 7. Interim pleros
que cum Cotta sensisse, non negatur. §. 9. Pythagoras enim aut
eius schola virtutem à Deo petendam docuit. §. 10. & 11. Docuit
& Socrates. §. 12. & Plato, §. 13. nec non Poeta Graci, Theo-
gnis, §. 14. an etiam Menander? §. 15. Ceritè Callimachus. §. 16.
Unde mirum, nostra etate suisse, qui Cotta opinionem pro-
vera amplexi sunt. §. 17. nempe Antonius Arnaldus, §. 18. & Pe-
trus Belius. §. 19. Contra hos tamen Persius nihil facit, eis Wed-
derburn explicatio id velit. §. 20. forte etiam nec Seneca, ut
Belio videtur, quia nobis duobus in locis omnino contradicit.
§. 21. Favet ramen duobus aliis in locis. §. 22. aperius adhuc
favent Juvenalis, §. 23. & Simplicius. §. 24. Corollaria.

§. I.

Summum bonum, quod non modo
Christus Servator noster, sed etiam
ipsa ratio sibi reliqua in animi tran-
quillitate positum docet, nemo sine

A 2

virtu-

virtute, veram autem virtutem nemo sine precibus
 unquam obtinuit, aut obtinebit. Virtute enim
 prædictus nemo nascitur, desiderio summi boni
 omnes tenentur. Nemo igitur beatus, omnes
 miseri. Consistit autem miseria hæc in eo, quod
 ab incunabulis pravis affectibus obnoxii, viribus
 iis haut simus instructi, ut vincula à tam malis Do-
 minis injecta rumpere, animumque in veram li-
 bertatem, veraeque virtutis possessionem afferere
 possumus. Alienæ itaque opis indigemus, qualem
 à nemine tui certiusque, quam à Deo expectan-
 dam esse, manifesta ratio svadet. A qua enim
 bonum petendum, nisi ab autore boni, nisi ab
 omnipotente: qui illud desiderantibus dare potest,
 & dare etiam vult. Non enim frustra desiderium
 boni cordibus inseruit mortalium omnis boni
 amantisimus, Deus. Quemadmodum autem
Virtutem veram in libertate animi à pravis affecti-
 bus aut inde resultante amore Dei & proximi si-
 tam esse autumo; & per *Preces* nihil aliud intelle-
 ctum hic volo, quām desiderium ad Deum sime-
 nre directum; ita puto satis elucescere, etiam sepo-
 sito revelationis divinæ lumine: **PRECIBVS (A DEO)**
IMPE TRANDAM ESSE VERAM VIRTUTEM.

OMNES

OMNES MISERI) Pater ex sequentibus, me hic loqui de hominibus, ut sunt in mundum progeniti suisque cupiditatis relicti: non igitur nego: dari beatos, hoc est, homines, qui mediis idoneis in virtutis mentisque tranquilla possessionem pervenerunt. Nego tantum, tales dari sine Deo, nego, dari naturā.

PRECIBVS) non dico solis precibus; unde iis non contradico, qui ad virtutis acquisitionem etiam institutionem, exercitationem & exempla requirunt.

§. II.

Equidem asserere non ausim, eam veritatis hujus esse lucem, ut obiter eam intuentium oculos primo obtutu statim feriat; ad eam potius recte percipiendam aut inveniendam mentem requiri noritia sui communis hominum naturā imbutam, lubens fateor. Interim tamen, in puto esse demersam, Veritatis hujus indagatori ingenuo Democritus, ut mihi quidem videtur, haut persuadet, siquidem, quæ ad eam stabiliendam attuli, etiam ab hominibus non summi judicii acumine gaudentibus, modo sinceris, capi atque percipi queunt. Unde mihi nunquam probabile visum est, adeo stupidos cœcōsque omnes (non dicam homines, sed) Ethnicos suisse, ut nemo eorum agnoverit, bonam mentem, hoc est, virtutem à Deo esse petendam. Imprimis cum vix detur veritas ad felicitatem hujus vitæ obtinendam necessaria,

§§ (6) §§

ria, quam non aliquis philosophorum gentilium perspexerit, & Lactantius, Cicero ille Christianorum, veritatem inter philosophos divisam esse, non sine causa crediderit.

LACTANTIVS lib. VII. cap. VII. „Facile est docere, pe-
„nè universam veritatem per philosophos & seetas effe-
„divisam.

§. III.

Cotta tamen, Vir gravissimus, Romanusque Ciceronis tempore Pontifex, hanc cœcitatis notam non sibi tantum, sed universo generi humano inure-re voluit. Sic enim differentem eum invenio apud Marcum Tullium de natura Deorum: „Atqui hoc „quidem omnes mortales sichabent, externas com-„moditates, vineta, segetes, oliveta, ubertatem fru-„gum, & fructuum; omnem denique commodita-„tem, prosperitatemque vitæ, à Diis se habere: VIR-„, TUTEM AVTEM NEMO VNQVAM ACCEPTAM DEO-„, RETVLIT. Nimirum recte, propter virtutem enim „jure laudamur, & in virtute recte gloriamur. Quod „non continget, si id donum à Deo, non à nobis „haberemus. At vero aut honoribus aucti, aut re-„familiari, aut si aliud quippiam naœti sumus for-„tuiti boni, aut depulimus mali, cum Diis gratias „agimus, tam nihil nostræ laudi assumptum arbit-„ramur. NUM QVIS, QVOD BONVS VIR ESSET,

G.R.A.

„GRATIAS DIIS EGIT VNQVAM? At quod dives,
 „quod honoratus, quod incolumis. JOVEM QVE
 „OPTIMVM, MAXIMVM OF EAS RES APPELLANT,
 „NON QVOD NOS JVSTOS, TEMPERATOS, SAPIEN-
 „TES EFFICIAT, SED QVOD SALVOS, INCOLV-
 „MES, OPVLENTOS, COPIOSOS. Neque Herculi
 „quisquam decumam vovit unquam, si sapiens fa-
 „ctus esset. Quanquam Pythagoras, cum in Geo-
 „metria quiddam novi invenisset, MVSIS bovem im-
 „molasse dicitur. Sed id quidem non credo, quo-
 „niam ille ne Apollini quidem Delio hostiam im-
 „molare voluit, ne aram sanguine adspargeret. Ad
 „rem autem ut redcam, JVDICIVM HOC OMNIVM
 „MORTALIVN EST, FORTVNAM A DEO PETEN-
 „DAM, A SE IPSO SVMENDAM ESSE SAPIEN-
 „TIAM.

PONTIFEX) vid. Ciceron. de Nat. Debrum lib. I. cap. 22, ubi
 ita de se Cotta loquens introducitur: itaque ego ipse pontifex,
 qui ceremonias, religionesque publicas sanctissime tuen-
 das arbitror. &c.

DISSERENTE M,) Cotta tribuo, quæ Cicero Cottam loqui
 fecit: non ideo, quia Cotta verum, non fictum fuerit no-
 men (Plato enim Socrati tribuit interdum & affingit, quæ
 ipsi in mentem non venerunt); sed ne Ciceronem contra-
 dictoria statuisse, sine necessitate asseram. Refert enim
 Petrus Belius loco infra allegando: Lescalopierium in Com-
 mentar. ad hunc Ciceronis locum Ciceronem ex Cicerone
 confutasse. Tullium de nat. Deorum I. lib. IIII. cap. 36.

§. IV.

§. IV.

Fuerit tamen *Cotta* & ingenio & dignitate maximus, & qui cæremonias (ut ipse de se loquitur) religionesque publicas sanctissimè tuendas sit arbitratus, auctoritate sua nihilominus nunquam evincet: *Fortunam tantum, non virtutem à Deo petendam esse*, cum sententiam suæ oppositam jam probatam dederimus, peculiari Dissertatione prolixius adhuc probatur, & ab objectionibus ejus & aliorum vindicaturi. Neque etiam in eo *Cottæ* subscribere possumus, *id*, quod afferuit, *omnium mortalium esse judicium*. Quosdam enim ex ipsis Gentilibus aliud sensisse, jam quidem ostendere mecum constitui: quamvis non negem, eum inter recentiores magni nominis viros consentientes habere, in quorum gratiam etiam illos ex Ethnicorum classe adducere placet, qui post *Cottam* demum vixerunt, virtutemque precibus impetrandam docuere.

INTER RECENTIORES) vid. §. 18. 19.

§. V.

Afferit itaque *Cotta*: Hoc omnium mortalium esse judicium, fortunam solummodo à Deo petendam, à se ipso sumendam esse sapientiam & virtutem. *Omnium* dicit, ergo neminem mortali-

um

lium eximit: ergo non Ethnicis solummodo, verum etiam Hebræis idem adscribit judicium. In quo falsissimum eum esse, ex Sacro Codice Veteris Testamenti abundè constat. Nec est, quare quis ad excusandum eum objiciat: *Cottam* linguae Hebræorum ignarum scire non potuisse, quænam Hebræorum hac de re fuerit sententia; cum eo tempore jam in græcum sermonem translatus extiterit facer Veteris Testamenti Codex, ut de libro sapientiæ & Siracidis nihil dicam. Græcae autem linguae peritum fuisse *Cottam*, is solus dubitat, qui ignorat: hanc linguam apud Romanos tum linguam eruditorum fuisse, *Cottamque* apud *Ciceronem* satis se versatum ostendisse in scriptis græcorum Philosophorum, quæ eo tempore nondum latine versa extiterunt. „Interim tamen, (ita forte quis regeret) Veteris Testimenti libros procul dubio non inspexit *Cotta*. Sed male debuit inspicere: debuit enim omnium de virtute acquirenda sententiam perspectam habere, aut non dictatoria quasi voce clamare: Hoc omnium mortalium esse judicium, quod tamen omnium non est, etsi multorum. Judæos enim mortalium numero eximendos esse, nemo sanæ mensis

B

tis

¶ (10) ¶
tis existimabit, neque tantæ dementiæ reum *Cottam* agere, animus est.

APVD CICERON.) in Tractatu de Nat. Deorum.

§. VI.

Verum enim vero *Cottam* ex Scriptura sacra
Judæorum confutare non est necesse, cum in
promptu sint, sicuti jam dixi, Gentilium exempla
aut testimonia, sententiam nostram clarè proban-
tia, Pythagoræ nempe aut Pythagoreorum, So-
cratis, Platonis atque aliorum, quæ priusquam in
medium producam, sequentia lubet prænotare.

§. VII.

Scilicet non inferior, ferè omnium philoso-
phorum doctrinam (quæ adhuc superest) ita esse
comparatam, ut præceptum de virtute Dei ope
impetranda haut satis bene cum ea connecti pos-
sit. Quod iis imprimis notum erit, qui erroneous
Pythagoricæ, Aristotelicæ, Stoicæ, Cynicæ & Epic-
ureæ lectæ de Deo, voluntatisque humanæ viri-
bus conceptus habent perspectos atque cognitos,
quorum præcipios in Disputatione *de splendida-*
magis quam solida Ebnicorum Philosophorum do-
ctrina morali exposuit Amicus noster honorati-
simus D. Henricus Burchardus Mederus. Verum
cum

§S (n) §S

cum experientia testetur: Homines errores ex ipso-
rum falsis principiis & opinionibus aperte fluentes
non semper amplecti, sed potius interdum dete-
stari, tuto exinde inferre minime licet: eos omnes,
quorum hypothesibus præceptum à Cotta impu-
gnatum non est conforme aut proorsus contrarium,
illud non agnovisse, aut ejus veritatem negasse.

NON SEMPER) Notum est, eos qui absolutum Dei de-
cretum de electione hominum ad salutem aut damnatio-
nem æternam, aut cum Stoicis fatus quoddam statuant,
detestari impian, quæ inde tamen fluit, consequentiam:
Deum esse autorem mali. Ita Vratislavæ commorantes ali-
quando per breve tempus duæ virgines Socinianismo ad-
dictæ, in colloquiis cum nostra partis hominibus liberum
hominis arbitrium satis crassè propugnantes tamen preci-
bus ardentissimis quotidie Deum efflagitabant, ut eas in-
supprimendis vitorum stimulis, quibus resistere non pos-
sent, clementissimè adjuvaret. Quod ab ipsis comperi,
qui orantes audierunt.

§. IIX.

Multo minus illud impugno, Gentilium
multos fuisse, qui preces aut omnes, aut minimum
eas, quæ pro acquirenda interna animi quiete ad
summum numen funduntur, censuerunt inutiles.
Hanc enim Romanæ plebis fuisse opinionem (à sa-
cerdotibus errorum & superstitionum patronis ei
fortè

fortè inculcatam) Cottæ Pontifici facile credo. Imò & multos Philosophorum idem sensisse, concedo. *Origenes* enim Peripateticos expressis verbis iis accenset impiis, qui preces ad Deum fusas quicquam prodesse negaverunt. Ita *Maximus Tyrius* Philosophus Platonicus peculiari Dissertatione, non orandum esse Deum, demonstrare alloboravit. Ut taceam *Isocratem*, *Horatium* & alios non obscure cum Cotta facientes. Quæ impietas aut coecitas quidem magna est, non tamen adeò miranda in Ethniciis, cum & inter eos, qui Christo nomen dederunt, nuper quidam Vir, alias celeberrimus & elegantissimi ingenii, ex nimio fortè scepticismi pruritu efficaciam piatum precum dubiis suis evertere annis sit. Ad quæ tamen non deesse, quæ etiam Philosophus respondeat, proxima, quæ sub manibus est, disputatio ostendet.

ORIGINES) *Contra Celsum* lib. II. p. 68. Edit. Cantabr. Verbi, uti Spencerus transtulit, hæc sunt: „Si propter dogmatum impietatem ducenti erant aliqui ante Reges & Principes, nullus prius quam Epicureos duci oportebat tollentes in totum providentiam; aut Peripateticos, qui negant quicquam prodesse preces ad Deum fusas.

MAXIMVS TYRIVS) *Dissert.* XXX.

ISOCRATEM) Ita enim loquitur *in Parensi* interpretante Wolsfo: „Existima nihil tribui melius, à Diis quidem, „pro-

„prospera fortuna: à nobis ipfis autem sapienti confilio.
Virtutem fortunā meliorem putasse Isocratem, nemo dubitat.
A Deo igitur eam hominibus tribui omnino negavit,
& cum sapienti confilio hominis potestati subjecit. Certe
in *Oratione ad Nicoclem* sapientes ita descripsit, ut simul vir-
tute p̄ditoſ designaverit. p. m. 40. 41.

HORATITS) Ita enim lib. I. Epistola XVIII.

Sed satis est orare Jovem, qui donat & aufert,

Det vitam, det opes: aquum animum m̄ ipse parabo.

Addam, quæ nobis adversari videtur, Dionyli Lambini com-
mentationem adhunc locum, & quidem ad verba: **ÆQVUM**
ANIM: ea hæc est: „animum æquabilem, moderatum &
„præsentibus contentum, animi æquitatem. Vide annota-
ta ad Od. 3. lib. 2. quibus adde alind exemplum ex M. Tul-
lii pro M. Marcello, *bis tu modum riae vite non salute Rei-
publicæ, sed æquitate animi definies?* sic autem hic locus in-
„telligendus, & interpretandus est, non, ut ludimagister
„quidam nuper homo ad risum movendum, quam ad do-
„cendum, aptior, multis audiētibus asseverabat, *virtutem*
„& *justitiam* mihi ipse comparabo, quasi significet Horatius,
„bona externa & fortuita à Diis esse petenda, atque optan-
„da: justitiam vero & cæteras virtutes, à nobis sumendas:
„ut est apud M. Tullium lib. 3. de Nat. Deorum: *Num quis*
„*quod bonus vir esset &c.* usque ad verba: *opulentos, copiosos.*
„Non igitur eadem omni ex parte loquuntur *Cicero & Ho-*
ratius: sed ille quidem bona fortuita à Diis petenda, vir-
„tutem à nobis: *Horatius* autem, quod ad primum illud at-
„tinet, idem, quod *Cicero*, dicit, bona externa à Diis esse
„precibus flagitanda: quod ad alterum, & secundum, non
„idem loquitur, sed æquitatem animi, sive (ut ita dicam)
„æquanimitatem, & *euθυνη* esse à nobis promendam, &
„sumendam, significat. Si quid intelligo, hæc Lambini
mens est: Horatium loqui solummodo de habitu animi ad
utramque fortunam ex præscripto rationis recte ferendam

comparato: Ludimagistrum autem illum hunc locum de omni virtute voluisse intellectum. Verum cum & hic per justitiam idem intelligere potuit, quod Lambinus aequanimitatem vocavit, ita magna cum ratione is, qui aequanimitatem in hominis arbitrio positam dixit, etiam de omni alia virtute idem censuisse credendus est. Unde etiam Daserius & Belius eadem cum Cotta Horatium dixisse, cum Ludimastro illo, quem plus quam scholastico supercilio contempserit Lambinus, non dubitarunt afferere.

§. IX.

Fortean *Cotta*, si viveret, adhuc ingentem philosophorum exercitum à suis partibusstantem objiceret, quorum placita & scripta, aut etiam nomina, tempus perdidit. Esto tamen, plerosque philosophorum, imò hominum, inter Gentiles, preces omnes, aut minimum eas, quas ad acquirendam virtutem commendamus, frustraneas censuisse: plerique tamen nondum sunt omnes. Sufficiunt pauci ad testimonium *Cottæ* erroneum infringendum. Sufficit triga magnorum Virorum, *Pythagoræ*, *Socratis*, *Platonis* ad ostendendam falsitatem asserti: Omnia hoc esse mortalium judicium, fortunam à Deo petendam, à se ipso sumendam esse virtutem.

§. X.

Prodeat igitur *Pythagoras*, cuius verba quidem

dem ipsa exhibere non possumus, cum nullum ab eo scriptum relictum habeamus: interim, cum ii, qui in verba ejus jurarunt, fidei ipsius dogmatum custodes fuerint, doctrina communis Pythagoreorum ad ipsum Pythagoram, tanquam autorem, meritò & suo jure refertur. Evolvens itaque *Jamblichum de vita Pythagorae*, ubi præcepta aut placi-
ta hujus scætæ recenset, inter alia & hoc reperio:
*Cum & Deus sit, & omnibus imperet, in confessio
esse, QVOD BONVM à DOMINO PETEN-
DVM SIT: omnes enim iis bona tribuere, quos
amant, quosque sibi acceptos habent.* Quod au-
tem per bonum hic etiam *Virtus intelligenda sit*, ex
eo licet colligere: quia nullum donum majus vir-
tute à Deo accipi posse, in *Demophili Pythagoræi
sententiis* legitur, *Ecphantusque ejusdem Scholæ*
 „Philosophus, virtutes opera Dei propria esse pu-
 „tanda, docuit. Adde, quæ habet *SCHEFFE-
RVS de natur. & consit. Philosophiae Italicae cap.
IX. p. 75. edit. Vitemb. 1701. 8.*

ET HOC REPERIO) Sectione LXXXVII. p. m. 72.
 QVOD AVTEM PER BONVM) Superflua omnino foret
 hac explicatio adducti loci, si hic ita se haberet, quem-
 admodum *Magnus Daniel Omeis in Ethica Pythagorica p. 17. sq.*
 cum retulit. Ita enim ibi ad quæstionem: *Quanam Pytha-
gore doctrina fuit de virtutum origine & causis?* respondet, :
 Cau-

„Causam virtutis primam & universalem statuit esse Deum.
 „Etuim Jamblichus de V. P. cap. 18. Philosophum nostrum
 „docuisse tradit, quicquid bonum & honestum est, ab ipso Doo
 „petendum est. hunc namque in eos, quos amore com-
 „plexatur, sapientiam & alia ejusmodi bona conferre. Sed
 Jamblichi textum evolventi patebit 1.) dogma allatum
 non immediate Pythagoræ, sed Pythagoreis tribui. 2.) ver-
 sionem loci Obrechtianam, qua hic usi sumus, accuratam
 esse, & locum, prout eum assert Omeisius, potius paraphra-
 sin esse, quam verba ipsa, quæ leguntur apud Jam-
 blichum.

DEMOPHILI) vid. sententias morales **DEMOPHILI** ab **HOL-
 STENIO** versas & editas. p. 35.

ECPHANTVS) meminit ejus *Jamblichus* in Catalogo cele-
 brium Pythagoreorum de vit. Pyth. Sect. CCLXVI.
 p. m. 215,

DOCVIT) vid. Stobæum Serm. XLVI. fol. 332. edit. Tigur.
 1543. provocat & ad hoc Ephantini dictum Omeisius l. c.

SCHEFFERVS) provocat hic ad *aurea Carmina Pythagore*,
 quæ quidem Critici Pythagoræ esse negant, non vero ne-
 gant continere ejusdem sententias, quod notum est. ad-
 fert autem Schefferus hos tres versus ex versione Curterii:

Jupiter atens, malis jubeas vel solvier omnes.

Omnibus utantur, vel quonam demone, monstra.

At confide, hominum divine est stirpis origo.

Sed clariora pro nobis sunt, quæ ex aliis versibus, qui hos
 antecedunt, colligo. Nam postquam varia vitæ præcepta
 leguntur propria, ita in *aureis carminibus* (ex versione la-
 tina Sylburgii) pérgitur:

Hec elabora: hec meditare: hec te amare oportet:

Hec te in divine virtutis vestigia constituent.

Ita certe per eum, qui anime nostra tribuit quaternum,

Fontem perennis naturæ. Ceterum ad opus accede;

Deos ut id perficiant precatus.

Qui.

Quibus, nisi me omnia fallunt, id innuitur: Eum qui di-
vinæ virtutis vestigia premere, aut perfectam vivere velit,
vitam, divinum implorare debere auxilium, utpote sine
quo hoc opus perficere non possit. Certe per eum, qui
animæ nostræ tribuit quaternum, Pythagoras Deum intel-
lexit: per quaternum autem sive Tetractyn perfectionem
animæ indigitavit Philosophia Pythagorica. vid. *Macrobius*
in somnium Scipionis lib. I. cap. VI. (p. 36. edit. Gryph. 8.)
item cap. V. p. m. 28.

§. XI.

Plura forte hac de re aduersus *Cottam* pro-
ferremus testimonia, si omnia adhuc veterum Py-
thagoræ Sectatorum scripta superessent, quorum
non nisi pauca, & quidem maximam partem
fragmenta quædam, velut è naufragio servavit lau-
danda doctorum virorum industria. Interim etiam
hæc pauca sufficiunt. Nec video, quid *Cottæ* de-
fensores regerere possint, nisi forsitan ex Demophilii
ætate, quem post *Cottam* floruisse verissimile est,
dubium necesse velint. Quo ipso tamen nihil ef-
ficient, nisi Demophilum à sententia Pythagoricæ
sectæ descivisse ostendant, quod ut ipso, nun-
quam sunt ostensuri. Annon vero hæc doctrina
de virtute à Deo petenda aliis quibusdam Pytha-
goricæ scholæ placitis repugnet, alia quæstio est.
Certe Pythagoras docuit: „Deum esse animum per-

C natu-

„naturam rerum omnem intentum, & commen-
tem, ex quo nostri animi carperentur. Animam-
que sive ad bonum ducere sive ad malum, feli-
cem ergo hominem esse cui bona anima advene-
rit. Quæ omnia potius ad atheismum, quam
ad virtutem à Deo petendam viam muniunt, cum
doctrinâ sane ejus, Cottæ asserto adversâ, non co-
hærent. Si quis inde suspicatur, Cottam modò
dictos Pythagoræ errores intuentem eo adductum
fuisse, ut suæ sententiæ suffragatorem eum putave-
rit, me facile assentientem habebit, modo conce-
dat, hac in re contra cautelam supra à nobis nota-
tam hoc ipso impegisse, & præcipitata nimis men-
te judicavisse.

DEMOPHILI AETATE) quando vixerit, fateor me igno-
rare. Ignorant & alii. Ante Cottam vixisse, nemo proba-
verit, imprimis cum *Jamblicus* in Catalogo Pythagoreo.
rum, quem texuit, ipsius non meminerit. De *Demophili*
similiudinibus & sententiis, quæ supersunt, vid. *Fabri. Bibl.*
Grec. lib. II. cap. XIII.

CARPERENTVR) vid. *Ciceron. Lib. I. de Nat. Deor.* cap.
XI. conser. *Diog. Laert.* lib. VIII. segm. XXVII.

ADVENERIT) *Diog. Laert.* Segm. XXXIII.

ADVERSA) De qua s. antecedente actum est.

AD ATHEISMVM) Si enim Stoici, quod Deum pro ani-
ma mundi informante haberunt, quam proximè ad Spi-
nozismum accedere censentur, non video, quomodo Py-
thagoras ab errore Spinoziano prorsus sit liberatus. Hinc
autem

35 (19) 58

autem probarum dedit Magnificus Dominus Buddeus in
Analēct. Histor. Philosoph. p. 340. -- 343. conf. eund.
Ibid. p. 94.

NON COHÆRENT) nam 1. non cohæret, esse partem
Dei, & Deum adorare debere. 2. secum invicem pugnant:
Homines boni aut mali sunt, prout eis bona aut mala ani-
ma advenerit, hoc est, virtutem ac virtutem fato solummodo
subjacere immutabili: & Deum orare, ut nos reddat
bonos.

ERRORES INTVENTIEM) Prædicti enim Pythagoræ er-
rores in eodem tractatu referuntur, in quo Cottæ legitur
assertum, quod impugnamus.

QVAM SVPRÆ) nempe S. VII. ubi ostendimus: ca-
vendum nobis esse, ne ita concludamus: Ex hujus Philo-
sophi hypothesibus hoc vel illud per bonam consequentiam
elicitur, ergo hic philosophus hoc vel illud habet pro
vero.

§. XII.

Post Pythagoram aut ejus Scholam adversus
Cottam jam prodeat magnus ille Socrates; non mi-
noris autoritatis, quam judicij Philosophus. qui
tametsi ea, quæ sensit, ipse literis non consignave-
rit, non tamen desuere, qui sermones ejus notatu
dignos publico bono posteris commendaverunt.
Ex his igitur discimus: „Socratem nihil ultra à Diis
„immortalibus petendum, quam ut bona tribue-
„rent, esse arbitratum. Quia ii. demum scirent,
„quid unicuique esset utile: nos autem plerumque

C 2

id

„id votis expertere, quod non impetrasse melius
 „foret. Unde & ipse, Xenophonte, optimo vita &
 doctrinæ Socraticæ, teste, „Deos simpliciter pre-
 cabatur, ut bona largirentur, quod Dii optime
 scirent, cuiusmodi res essent bona. At qui au-
 rum, vel argentum, vel tyrannidem, vel quid
 aliud hujusmodi à Diis peterent: non disimile
 quid petere putabat, quam si aleam, vel præ-
 lium, vel quid aliud earum rerum peterent, quæ
 omnino sunt obscurè cuiusmodi sint eventum
 habituræ. Quæ omnia minimum hoc edocent,
 cum cum Cotta non censuisse: Fortunam à Deo
 petendam, à se ipso sumendam esse sapientiam &
 virtutem. Ut tamen omne dubium circa senten-
 tiam Socratis tollatur, sola, quæ ex *Maximi Tyrri Sermone XXX.* hic transscribo verba, sufficiunt:
 „At tu, inquit, Hercules, preces philosophi vo-
 tum eorum, quæ non habet, esse existimas: ego
 nihil aliud, quam orationem esse puto, quam
 colloquium cum Diis de bonis præsentibus, te-
 stimoniumque virtutis. Nisi forte divitias aut
 Atheniensium magistratum, petiisse existimas So-
 cratem. Ille virtutem animi, tranquillitatem
 vita, mores inculpatos, plenam fiduciā mortem,
 bona præclara, & quæ libenter Dii donare so-
 lent,

„lent, ab illis petebat, quæ deinde à semet, illis
 „concedentibus, sumebat ipse. Hæc Cotta æquè
 bene scire potuit, qum *Maximus Tyrius*: Sed si
 legisset, aut eorum recordatus esset, errorem,
 quem confutamus, non errasset.

MELIUS FORET.) Sunt verba Socratis ap. Valer. Maxi-
 mum lib. VII. cap. II. p. 272. edit. Plantin. an. 1594. 8. Hæc
 desumisse Valerium ex Platonis Alcibiade II. Stephanus
 Pighius ad marginem notav. 1595.

XENOPHONTE) utor versione Joan. Leunclavii, quæ
 prodiit Francof. apud Andr. Wecheli Hæredes an. 1595. in
 8. ubi ea, quæ retulimus hic, Tom. II. p. 80. leguntur.

DVERVM) Posset enim quis objicere, Socratem non di-
 xisse virtutem à Deo petendam, sed ipsum dubitasse, quæ
 nam bona petenda sint. Ad quæ ex Maximi Tyri loco
 facilis responso est. Scilicet, dum Socrates probe vide-
 ret, homines nimio externarum rerum amore teneri, ita
 ut ipsis vix persuaderi poscit, ut ante omnia interna bona
 Deos rogarent, iis persuadere conatus est, ut minimum
 simpliciter bona ab iis peterent, simulans eadem sese ipsum
 facere, quamvis Socrates tranquillitatem animi, virtutem
 que præcipua bona esse sciens, hæc quoque præ alii pe-
 tenda non dubitaret.

MAXIMI TYRII) edit. Cantabr. an. 1703. p. 324.
VERBA) ex interpretatione Daniels Heinri.

§. XIII.

A Socrate ad Platonem, hoc est, à præcepto-
 re ad discipulum, me converto. qui et si non ubivis

C 3

eius

ejus vestigia presisse, verum in non paucis Pythagore placitis adhæsse visus sit, ab utrisque tamen discere potuit: virtutem à Deo precibus esse obtinendam. Dialogus ejus, quem Phedrum inscripsit, hoc eum didicisse, re ipsâ comprobat. Ibi enim sub persona Socratis has legimus preces: „O Amice Pan „ & reliqui Dii, date mihi, ut pulcher intus efficiar: „ & quæcunq; extrinsecus habeo, intrinsecis sint amica. Quid enim aliud est interna pulchritudo, quam hic Plato Deos suos rogat, quam verum sapientæ virtutisque decus? Quid est petere à Deo, ut quæ extrinsecus habemus, intrinsecis sint amica, quam solidam rogare virtutem? non simulatam, qualis eorum est, qui Curios simulant & Bachanalia vivunt: aut potius illorum, qui idem faciunt, quod vere sapientes facere solent, sed animo plane diverso, vultu & gestibus oves mansuetæ, corde lupi rapaces?

HAS LEGIMVS PRECES) leguntur ex in fine Phedri sed non totas hic retuli. post verba: *Intrinsecis amica*, adhuc ista sequuntur: „Divitem autem sapientem solum existit mem. Tantum vero mihi sit auri, quantum nec ferre, nec ducere queat alius, nisi vir temperans. Sed hæc huc non pertinent. Unde etiam omessa sunt.

§. XIV.

Hæc sunt e Schola Pythagoræ, Socratis & Platonis, magnorum Philosophorum de prompta testimonia, quibus quorundam Poetarum, Theognidis, Menandri, atque Callimachi, malè quidem interdum philosophantium, non tamen semper errantium, suffragia forte addere licebit. Theognis certè, qui ante Platonem vixit, postquam in iis, quæ adhuc superstinent, sententiis dixerat:

Nemo hominum neque dives, neque pauper,

Neque malus sine numine, neque bonus est:

hunc in modum Cyrnum suum exhortatur:

Ora Deos, quibus est magna potestas. Nihil sine

Diis

Est hominibus, neque bona neque mala.

Quo iplo clarè docuit: cùm sine numine nemo bonus sit, hoc est justus, sive vera virtute prædictus, Deos, qui possunt nos hoc bono beare, orando esse. Quod in eo erraverit, quod Deos, non Deum precandum esse ethnico more putaverit, quodque confundendo malum peccati cum malo culpi, hujus causam Numini, impio sane ausu adscripsérit, huc non pertinet: Hoc tamen non prætereundum est: ipsius suffragium imprimis esse

notan-

notandum, quia non exigua hujus Poetæ apud Græcos fuit autoritas, utpote cuius sententiae Juventuti in scholis Græciæ ediscendæ fuerunt propositæ. Quod satis probat: doctrinam de virtute precibus impetranda non heterodoxam sed potius veram fuisse habitam, & ut veram juventutis à præceptoribus in Græcia inculcatam,

IN HIS utor versione, quam edidit Hieronymus Comelinus, Ultraj. 1659. 12. ubi pag. 6. ii leguntur versus, quos hic adduxi.

HOC EST JVSTVS) eadem enim pag. hæc leguntur:

In Justitia autem comprehensum omnis virtus inest.

Omnisque vir bonus est. Cyrne, justus qui est.

PKOPO-NITÆ) v. les Vies des Poetes Grecs en abrégé par Mr. le Fèvre p. 40. (edit. Amstel. 1700. 12.)

§. XV.

Forte etiam Menander Comicus, qui anno ultimo Olympiadis CXXXI. mortuus est, Theophrastique Discipulus fuit, à nostris statib[us] partibus. Non enim solummodo in fabula quam Pellicem inscripsit, Bonorum quandam curam gerere etiam Deum, afferuit, sed etiam quod huc apprime facere videtur in Vulcanalibus hanc sententiam protulit:

Cum

*Cum sanctum quidpiam facis, bonam spem
Tibi proponito, hoc probè sciens, fore ut
Auso justo Deus quoque optuletur.*

Rem autem sanctam esse, ausumque justissimum
Virtutem rogare Deum, maximeque hoc con-
gruere in eum, qui spem in eum collocat, nullus
dubito. Cum tamen hic precum, de quibus agi-
mus, expressa non fiat mentio, & ex epigramma-
te, quod in Epicurum scripsit, pateat: Menan-
drum Epicuro favisse, ejus testimonio insistere no-
lo, imprimis cum cuidam personæ, quam in sce-
nam introduxit, ea tribuisse videatur, quæ ipse
non creditit.

DISCIPVLVS) Fabric. Bibl. Græc. lib. II. cap. 22. p. m. 730.
BONORVM QVANDAM) vide fragmenta Menandri, quæ
nuper latine reddita recudi fecit vir doctissimus Joannes
Clericus p. 143.

CVM SANCTVM) vid. ead. fragm. p. 191.

§. XVI.

Mittamus ergo Menandrum; cum adhuc su-
persit nobiscum faciens Callimachus, poeta lyricus,
qui ætate Ptolomæi & post eum floruit. In ejus
enim hymno ad Jovem hos réperio versus:

Da nobis (Jupiter) & virtutem & opes, *vidon*
Neque sine virtute opulentia potest homines beare;

D

Neque

Neque sine opulentia virtus, Da ergo & virtutem, & opes.

An virtutem sine opulentia homines beare non posse recte dixerit, alibi disquiremus. Nobis hic fatis est, quod precibus acquirendam virtutem putavit, & fidem suam opere ipso comprobavit.

VERSVS) Secundum versionem Latinam, quam in sua editione exhibuit *Theodorus Grævius* (ultraj. 1697. 8.) p. 26. sq.

§. XVII.

Pauca haec Gentilium Veterum testimonia ad convellendam *Cott.e* assertionem sufficiunt. Verum enim vero cum inter recentiores magnæ autoritatis in Republica literaria viri *Antonius Arnaldus*, & *Petrus Bælius* sententiam *Cott.e* non dubitaverint amplecti, ad hos confutandos etiam aliorum, qui post *Cott.e* tempora scripserunt, Gentilium subnectere sententiam, haut erit incongruum.

§. XIX.

Ne tamen Celeberrimis Diuumviris injuria fieri videatur, ante omnia ex eorum scriptis, quæ senserint, proponemus, priusquam ceteros, qui nobis favent, contra eos in medium adducamus Ethnicos. Audiamus ergo *Antonium Arnaldum*, cuius

cujus locum hoc pertinentem, uti à Petro Bælio ad-
fertur è sermone Gallico, ita Latinum reddimus:
„Philosophi nolebant virtutem à Deo dependere,
„simul tamen cursum rerum humanarum, & omne
„id, quod bona fortunæ appellamus, ab eo de-
„pendere volebant. Atque hoc quidem (dicebant)
omnes mortales sic habent: fortunam à Deo peten-
dam, à se ipso sumendam esse sapientiam. Eadam
„Poeta quidam in Epistola philosophica lo-
quitur:

*Sed satis est orare Jovem, qui donat & auferit;
 Det Vitam, det opes: eorum mihi animum ipsi pa-
 rabo.*

locus est satis clarus, commentarioque non habet
opus, cum non tantum Cottæ opinionem, sed &
ipsa verba in sece contineat,

CVJVS LOCVM) occurrit is dans ses Reflexions sur le nou-
veau système de la nature & de la grace tom. I. pag 212.

A PETRO BÆLIO) dans la Continuation des Pensées diver-
ses sur les Comètes, §. LIV. p. m. 246. 247.

§. XIX.

*Arnaldum presso pede sequitur Bælius, vir in
 historia Philosophica alias versatissimus & accura-
 tus. Dum enim intendit demonstrare: „Religio-*

D 2 „nem

nem Ethnicam ad acquirendam virtutem fuisse
 inutilem, loco probationis inter alia hoc adserit,
 nempe Gentiles à Diis non bonam vitam, con-
 scientiam & sanctitatem, sed bona fortunæ, sani-
 tatem corporis & alia hujus generis tantum pe-
 trisse: ipsosque philosophos hac in parte commu-
 ni errori succubuisse, putantes, quemlibet suis se
 viribus debere bonum reddere, non autem vir-
 tutem tanquam donum à numine expectare. Interim tamen non satis sibi constare videtur, dum
 non tantum fatetur, doctissimum Dacierium sen-
 tentiam Cottæ, quam approbat, falsitatis arguisse,
 sed etiam simul notat: Lescalopierium Cottam ex
 ipso Cicerone confutasse: & tamen in opinione
 erronea immotus persistit, quædam solummodo
 objecta loca confutans, cetera intacta relinquens,
 & ad Senecam provocans, cuius locum §. 21. ad-
 ducturi sumus. Ita sunt interdum etiam eruditissimi
 virorum ad ea negligenda proni, quæ scopo
 ipsorum non satis convenient, aut proslus adver-
 santur, iis unicè intenti, quæ præjudicatae opinio-
 ni, quam relinquere nolunt, inservire temel visa
 sunt.

BÆLIVS) Dans la Continuat. des Pensées sur les Com.
 pl. 243. — 250. Quem-

Quemadmodum itaque modo allegati autores Ethnici non minus hisce Duumviris Arnaldo Balioque contradicunt, ita adversus hos adhuc militant Lucius Annaeus Seneca, Decimus Junius Juvenalis, & commentator Epicteti Simplicius, non obscurorum, sed celeberrimorum operum autores. Quibus si Davidem *VVedderburnum* sequi placeret, A. Persium Flaccum addere possemus, utpote qui postquam ultimos ex satyra secunda hujus Poetæ versus paraphrasi sua explanavit, hæc addit: „Ex his discere licet, quām Stoicorum „Philosophia (cui addic̄tissimus Persius) Christia-„norum de prece doctrinæ proximet: docet enim „Persius, bona animi petenda esse: alia verò bona „corporis & fortunæ, quam præpostere petantur, „inibi docet. Evidē ipse manifestum esse di-
co, è Persio increpari vulgum, proceres, viros, fee-
minas, imò ipsos Sacerdotes & Pontifices, quibus
nihil aliud in votis fuit, præter opes & fortunæ &
corporis bona: Sed ipsa tamen *VVedderburni* pa-
raphrasis nihil amplius dicit, quām Persium requi-
rere, „ut eum, qui Deum digno cultu prosequi ve-
lit, animum oporteat asserre atque offerre bene,
„comparatum ad omnia divina humanaque jura,
„ac mentem in cuius penitissimo recessu pietas

vera radices egerit: *peccusque non leviter virtutis
colore tinctum, sed penitus imbutum generosa & bo-
nae spei plena honestate, quæ nihil aliud est, quam
„constans & imutabilis virtus & superstitioni con-
traria.* Apponam ipsos Persii versus:

*Quin damus id superis, de magna quod dare lance
Non poscit magni Messallæ lippa propago.
Compositum jus fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & incœtum generoso peccus honesto.
Hoc cedo ut admoveam templis & farre litabo.
Hi sane non docent: virtutem à Deo petendam
esse, sed eos, qui Deo offerre velint & vota nun-
cupare, jam virtute instructos ornatosque eum ac-
cedere debere.*

PARAPHASI SVA) vid. *Wedderburni Persium enucleatum*,
qui prædit post mortem ejus Amstelod. apud Daniel El-
zevium an. 1664. in 12. p. 40.
VULGVM, PROCERES ETC.) vid. Wedderb. Pers. enu-
cleat. p. 38.
PERSII VERSVS) quibus Satyra ejus secunda clauditur.

§. XXI.

Si Bælius hic audiendus esset, etiam *Senecam*,
Philosophum in plurimis Stoicum, tanquam ad-
versæ parti faventem omitteremus. Nec abnuo
Stoicos

Stoicos docuisse: Ex omnibus rebus solam sapientiam atque virtutem in potestate hominis esse fidam, quæ doctrina etiam à modestissimo alias stoicorum Epicteti in Enchiridio suo fundamenti loco præmititur. Clarus est etiam ex ipsius Senecæ Epistola XLI. allatus à Balio locus, quem ipsum huc transscribo totum: „Facis (Lucili)
 „rem optimam & tibi salutarem, si, ut scribis, per-
 „severas ire ad bonam mentem, quam stultum est
 „optare, cum possis à te impetrare. Cui apprimè
 convenit alius locus à Balio prætermislus ex Epist.
 XC. ubi ita ad Lucilium suum loquitur Annaeus:
 „Quis dubitare, mi Lucili, potest, quin Deorum
 „immortalium munus sit, quod vivimus: Philo-
 „sophiæ, quod benè vivimus? itaque tanto plus
 „nos debere huic, quam Diis, quanto majus be-
 „neficium est, bona vita quam vita. Sed non
 semper principiis suis aut lectæ suis convenien-
 tia docent Philosophi, & sæpe ea, quæ heri fal-
 sa esse contendebant, hodie ut vera atque solida defendunt. Seneca nobis exemplum exhibebit.

SOLAM) vid. Epicteti Enchiridion Cap. I. addit Arriani
 commentarium Disputationum ejusdem Epicteti cap. IV.
 & cap. IX. ubi de virtute haec leguntur: „Num in pote-
 state

„stare nostra non est? sola equidem prae reliquis rebus
„omnibus.

A TE IMPETRARE) Sequuntur verba quae doctrinam
Stoicam de Deo anima mundi & anima hominis essentiam
divinam particula pro fundamento habent, quibus ergo ab
aliis frustra Christianus affingitur sensus, uti *Badius* adver-
sus *M. Antonium Muretum* observavit lib. cit. p. 250.

QVAM DomiNus) impia sane in Deum verba, quae tamen
emollire aut corrigere voluit, dum addidit: „pro certo
„deberetur, nisi ipsam Dii philosophiam tribuissent: cuius
„scientiam nulli dederunt, facultatem omnibus.

§. XXII.

Senecam itaque in duobus locis, quos addu-
ximus à partibus *Cottæ*, *Arnaldi*, *Baliique* stare li-
bens concedo. Sed adversarios etiam mihi con-
cedant oportet, aliis in locis alia planè docuisse,
etsi accuratè determinare non ausim, an in ea, quae
Cottæ causam, utrum vero in hac, quae nostram
tuetur, opinione vitam finiverit. Quicquid sit,
certum est, *Senecam* bonæ causæ favisse dum epi-
stolam suam decimam conscripsit: ita enim ibi:
„Votorum tuorum veterum licet Diis gratiam fa-
„cias, alia de integro suscipe: roga bonam men-
„tem, bonam valetudinem animi, deinde corpo-
„ris. Quidni tu ista vota sapper facias? audacter
„Deum roga, nil illum de alieno rogaturus. Hunc
locum

locum sibi objici posse, prævidit acutissimus *Bælius*, unde ut *Senecam* sibi conciliaret, & à contradictione liberaret, eum per bonam mentem virtutem indigitasse negavit. „Intelligebat, inquit, per „bonam mentem & bonam valetudinem animi, „bonam mentis dispositionem quatenus est qualitas physica, non autem quatenus est qualitas „moralis. Sed *Bælius* hac in parte neminem habebit sibi assentientem nam 1.) et si concederem, per bonam valetudinem animi bonam qualitatem mentis physicam intelligere voluisse *Senecam*, nondum tamen video, quare bona mens eadem, & non potius qualitatem moralem significare debeat.
 2.) Ipse *Bælius* fatetur *Senecam* vocabulum bonæ mentis hac in significatione usurpare epistolâ XLI, cum nullum locum afferre potuerit, qui ipsius interpretationem firmaret. Ad alium itaque locum *Seneca* me converto, qui in præfatione legitur, quam tertio Naturalium Quæstionum libro præmisit. Ibi ad quæstionem: „quid est præcipuum „(scilicet in statu hujus vitæ afflicto)? Ita responderet:
 „Non admittere in animum mala consilia, puras „ad eccliam manus tollere, nullum petere bonum „quod ut ad te transeat, aliquis dare debet, aliquis

E

, amit-

, amittere: Optare, quod sine adversario optatur, bonam mentem. An & hic qualitatem physicam ex bona mente excuspsisset *Badius*, ignoro. Mihi sine adversario vix optari videtur, quod sine adversario aut invidia non possidetur. Bonam animi dispositionem physicam adversarii invident, an etiam virtutem? dubito. nam virtutis comitem semper esse invidiam, nemo evincet. Et quid multa: *Senecam* per bonam mentem virtutem intellexisse, indubium est, ullibi intellexisse qualitatem animi physicam, neque *Badius* neque ullus alius probavit, aut probabit.

(QUALITAS MORALIS) Addit *Badius*: Philosophos ideo censurisse petendam esse a Dñis sanitatem animi, quia ad bona fortuna pertinet, quæ in nostra potestate non sunt. Sed concedo hos inter Philosophos fuisse etiam *Senecam*, cum ea scriberet, quæ præcedente s. allata sunt. Præsupponere videtur *Badius* *Senecam* in eorum fuisse Philosophorum classe, qui sibi semper constant, cum notum sit: ipsum non ubique eadem sentire, ut aliquando docebit, quæ sub manibus est, *historia Philosophica*. Erat *Seneca* Vir non soli philosophie intentus, sed etiam multis aula negotiis obrutus: non scribebat systema philosophiarum, sed cogitationes, quas ipsi meditatio profunda, aut experientia, sèpè etiam imaginatio suggestebat, quæ non raro mentis acumen obtundit contradictionum secunda mater. Accedit, quod *Seneca* clarè fatis ultimis adducti loci verbis innuerit, quod non bona fortuna extra hominem existen-

§S (35) §S
existentia roganda putaverit, sed bona animi, & corporis
valetudinem: bona fortunæ enim sunt bona aliena.

IN PRÆFATI^E in qua senem se vocat *Seneca*, unde
quis conjicere posset: agnoscisse eum sub finem vitæ vir-
tutem à Deo petendam esse, prioremque sententiam mu-
tasse. verum cum incertum sit, quando Epistolam XLI.
scripsiterit, nihil definiemus.

§. XXIII.

Si tamen *Senecæ* allata loca ita comparata
sint, ut omnino nubeculæ quædam eorum lucem
obfuscant, clarissima tamen sunt, quæ ex *Juve-
nali* & *Simplicio* jam depresso, utpote quæ nec
ipse *Carneades* aut *Pyrrho* reddere poterit suspe-
cta. Vixit *Juvenalis* regnante *Domitiano*, Ro-
mani Imperii Domino, scripsitque satyras multa
egregia in le continentes. Egregia sanè sunt, quæ
inter ea occurunt, quæ sub finem Satyræ deci-
mæ habet, in quâ vota vulgi inania & ridicula
tangit & exagitat. Ibi enim ad objectionem.
„Nil ergo optabunt homines? more Socratico ita
respondeat:

— — — — Si consilium vis,
Permittes ipsis expendere numinibus, quid

*Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.
Nam pro jucundis aptissima queque dabunt*

Dii.

*Carius est illis homo, quam sibi nos animo-
rum*

*Impulsu, & coeca magnaque cupidine ducti
Conjugium petimus, partumque uxoris. at illis
Notum qui pueri, qualisque futura sit uxor.*

*Postmodum vero addit, quæ petenda, sigillatim
judicet:*

*Ult tamen & poscas aliquid, voveasque sa-
cellis*

*Exta, & candiduli divina tomacula porci:
Orandum est, ut sit mens sana in corpore
sano.*

*Fortem posce animum, & mortis terrore,
carentem,*

*Qui spatiu[m] vita extremum inter munera
ponat*

*Naturæ, qui ferre queat quoscunque labores,
Nesciat irasci, cupiat nihil.*

§. XXIV.

§. XXIV.

Supereft adhuc *Simplicius philosophus*, qui
 ipsis, quibus commentarios suos in *Epicleti En-*
chiridion claudit precibus, evidentissimè nobis
suffragatur. Certè commentarye nulla indi-
*gent hæ preces, unde iisdem huic adversus *Cot-**
**tam, Arnaldum & Bælium* adornatæ dissertatio-*
ni commodè finem imponemus. Ita enim pre-
catur Simplicius : „Supplico tibi Domine, pa-
 „ter & dux rationis nostræ, ut nostræ nobilitatis
 „recordemur, qua tu nos ornasti: & ut nobis
 „præsto sis, ut iis, qui per se moventur, ut &
 „a corporis contagio, brutorumque affectuum, re-
 „purgemur, eosque superemus & regamus, &, si-
 „cūr decet, pro instrumentis iis utamur. Dein-
 „de ut nobis adjumentosis ad accuratam rationis
 „nostræ correctionem, & conjunctionem cum
 „iis, quæ verè sunt, per lucem veritatis. Et
 „tertium, Servatorem supplex oro, ab oculis ani-
 „morum nostrorum caliginem prorsus abstergat,
 „ut quod apud Hómerum est,

36 (38) 56

Norimus bene, qui Deus aut mortalis ha-
bendus.

SIMPLICIVS) utor versione Hieronymi Wolffii, cum qua
Simplicii Commentarius, cui adjunctæ sunt Salmasij
animadversiones doctissimæ, Lugdun. Batavor. an. 1640.
in 4. prodiit.

COROLLARIA.

Docentes, Ethnicos fuisse, qui
putarunt virtutem à Deo peten-
dam esse, non id volumus, eos
hanc doctrinam omnes eidem me-
cum fundamento superstruxisse: sed
tantum eos putasse: virtutem esse
à Deo petendam.

II.

Nec ea omnia in locis addu-
ctis Gentilium, quæ scopum no-
strum

strum immediate non attingunt, ap-
probamus, et si ea non expreſſe im-
probaverimus.

III.

Qui Cottam, Arnaldum &
Bælium, defendere vult, eum
ostendere oportet, omnes eos, ad
quorum suffragia provocavimus,
non scripsisse, quæ ex scriptis eo-
rum adduximus: aut eorum nos
mentem recte non esse interpre-
tatos.


IV.

Lactantius errat, dum Gentili-
es ideo reprehendit, quod Deum
Jovem, i. e. juvantem patrem di-
xerint:

xerint : hoc enim nomen in Deum
optimè congruit. Num enim ad-
dit : „nemo sic Deum precatur, ut
„se adjuvet. Ostendit aut se Davi-
„dis Psalmos nunquam , aut non
„cum cura & attentione legisse.

vid. Lactant. Institut. Divin. Lib. I. cap. XI.

SOLI DEO GLORIA.



OO A 6357



f

56.

vD 18

7000



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

Q. D. B. V.
DE

37.

VIRTVTE PRE-
CIBVS IMPETRANDA
EX ETHNICORVM QVORVN-
DAM SENTENTIA,
adversus Cottam, Arnaldum & Bælium,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
GVILIELMO HENRICO,
DVCE SAXONIÆ, JVLIACI, CLIVIÆ AC MONTIVM, AN-
GARIÆ WESTPHALIÆQUE ET RELIQV.
CONSENSV AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI
IN ACADEMIA JENENSI
d. Octobr. An. M DCC X.

DISPVTABVNT

M. Bottlieb Stolle/
LIGNIC. SILES.

ET
IOANN. CHRISTIANVS SCHWOPE,
BREGA - SILES.

JENÆ,
LITTERIS MULLERIANIS.